



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Mvricherodachvs clavsvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](#)

B. MVRICHERODACHVS

CLAVSVS.


Muricherodachus domo Hibernus, è veteri Scotia profectus, anteuerit Marianum popularem suum, priusq; omnium fuit, qui ex eagente Reginoburgum in Boiariam peruenit, ibidemque apud superius Virginum cœnobium æterno clausus ergastulo, in votis & precibus summâque vitae seueritate ad multam ætatem & extremum usque diem perseuerauit. Venit interim ex ejusdem viri diuini patria & municipio D. Marianus (quem infra huic, suo loco, annisque succenturiabimus) qui religionis caussa Romam petebat. Sed cum Reginoburgum venisset, & de sua peregrinatione B. Muricherodachum tanquam certum oraculum consuluisse, respondit iste, quærendum ex numine per ieunia & suppicia, expediânte ad urbem pergere, an inibi Reginoburgi pedem sedemque figere. Sub eandem noctem dum Marianus in lectulo pauxillum fessa preculabore membra deponit, quietemque captat, diuinitus oraculum accipit, eo in loco sibi tota reliqua vita persistendum, ubi illum sol exoriens primum deprehendisset. Postridie prius quam dilucularet, ad iter cum duobus comitibus Ioanne & Candido accinctus, Muricherodacho & cæteris familiaribus salutatis, Romam versus alacer ingreditur, sed iter more suo ab auxiliis diuinis & precibus auspiciaturus ædem D. Petri consecrati, quæ extra Reginoburgum pomerium est, ubi postea D. Mariani corpus est humatum, adit, precatürque D. Petrum ut ipsius auspicio ab Reginoburgico templo D. Petri, ad Romanum eidem dedicatum feliciter progrediatur. Finita dein comprecatione limina templi egressuto clarissimum solis jubar exortum obijcitur, cum ille nocturni mox oraculi memor, statim in genua cum sodalibus dejectus, grates Deo gratissimo animo meminit, quod illi locum vitae & mortis, ubi illum defungi vellet, ostendisset. *Hic, inquit, requies mea in seculum seculi.* hic tremendum Dei ad decretorium usque diem tribunal expectabo. Quod ubi sacris virginibus & antistitiae Hemmæ renunciatum est, Marianum coelesti significatione admonitum, ut ad S. Petri extra muros per omnem vitam moraretur, ædem illi factam D. Petri & aream ponendæ mandræ, annuente Henrico Imperatore, quem IV. numerant, concessit. quam voluntatem Augusti Imperato-

S 4 ris in

CID. LXXX.
circiter.
Monumenta Ratib.
M. S.
Francis. Grienwald
Buent. p. 614. edit.
Inq. ubi Muricherodachus appellatur.

ris in D. Mariani vita tabulis consignatam leges. Addiderunt ciuium religiosiores & liberaliores de suo, ut ædificium Mariano penerent, locumque pluribus colendum apparent. Inter quos Bezelinus cælesti amore flagrans magnam operam ære suo contulit, ut justum cœnobium, quod plures caperet, conderetur. Quæ fama ut in Hiberniam est delata, magnum piorum juuenum, virorumq; numerum exciuit, vt se Mariano in eodem contubernio conjungerent. Et cum eorū copia adeo excreuisset, ut multi, nouis quotidie colonis aduentantibus, loco excluderentur, natum inde est alterum Scotorum, in ipsa urbe Reginoburgi domiciliū S. Iacobi, quod hodièque visitur. Et ex illo plura alia Heripoli, Viennæ, Lystdij, Noribergæ. Ita D. Muricherodachus tot in Germania cœnobiorum Scottis seu Hibernis conditorum quasi primum fundamentum, primusque in omnibus lapis fuit, quamuis ipse è suo spelæo nunquam fuerit egrederetur, sed virtutis fama vitæq; sanctioris odor nullis claustrorum repagulis continetur; imò quo ar-

Etius custoditur, hoc latius diffunditur.



S. GEB.